



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. Quæ lux mundi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

130. c. 7. Hercule vita humana sine sale nequit de-
re: adeoque necessarium elementum est, ut transierit
intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sa-
le appellantur: omnisque vitæ lepos, & hilaritas, la-
borumque requies, non alio magis vocabulo constat.
Honoribus etiam militiæque interponitur, salarijs in-
de dictis, magna apud antiquos auctoritate, si, ut ap-
paret ex nomine salariæ vitæ, quoniam illa sal in Sabi-
nos portari consuevit.

Hæc ex similitudine Apostoli, ac sinceri Docto-
res sal terræ appellantur; quia homines victorum ve-
tustate veteralescentes, & condiunt ad salutem, & a pu-
tre dine & corruptione conseruant.

§. 2. Sal infatuari dicitur, cum acrimonia eius,
siccandi, incidendi, penetrandi efficacia diluitur, ita
enim intelligendum est, quod dicitur *μωροποιῶν*, Sy-
rus *תפחחי* Thephchahi, hinc Luc. 19. Sycomorus di-
citur *תפחחי* Thita Phachaihatha, ficus fatua.
Infatuantur autem Pontifices, Episcopi, sacerdotes
doctores, Religiosi, cum ad conseruandam Ecce-
siam nihil conferunt, sed potius obsunt, cum vel a ve-
ritate Doctrinæ deficiunt, vel dissolutis vitæ moribus
doctrinam infamant. Tota illa turba, si nec verbo,
nec exemplo iuuat, insipida est, ad nihilum valet vl-
tro: alia enim putrefacta cum in sterquilinio perie-
rint ad latificandos agros vitia, sal fatuum terræ
fecunditatem exhaurit, & germinum radices erodit:
sic quidem reliquæ partes Reipublicæ, etiam cum in-
fatuatæ fuerint, quasdam obuiæ functiones possunt.
Improbis dux, aut comes, bello interdum utilis, no-
bilis infatuatus viliter pro patria pugnat, & moritur;
rustici, ciues, opifices criminosis lucro possunt esse ci-
uitati: dum ita puniuntur, ut fodiant metalla, remos
trahant, domos struant. At Doctor infatuatus, et-
iam hisce applicitus offensionis cæteris esse cognoscit-
tur, & quocunque pedem infert, sterilitatem inducit
aut enim prauis moribus, aut doctrina nocet. Quo-
circa grauissimè peccant Episcopi & prælati, cum ad
Ecclesiasticas dignitates, curatæque beneficia salem
infatuatum admittunt, hoc est, imperitos, impuros,
ebriosos, auaros pastores populis imponunt. Nec
excusantur, quasi defuit copia bonorum; nam si non
promoueantur mali, bonorum copia aderit. Deinde
sal infatuatus non modo non prodest, sed etiam ob-
est. Præstaretque raros & bonos, quam multos, &
malos esse sacerdotes.

§. 3. Caluinus non supra verum modum, sed et-
iam supra modum Episcopos, & pastores calumnia-
tur. Verba eius lib. 4. instit. c. 5. §. 14. adducam,
Catholicorum & hæreticorum causa, imprimis ve-
ro Clericorum. Hi enim facile intelligent, quam
sanctè viuendum sit, quibus tam multoties calum-
niator appositus est. Catholici cauebunt, ne quic-
quam illi vnquam credant, quem tam impuden-
tè mentiri deprehenderint. Hæretici quoque in
hancem inquirunt, & ubi falsam agnouerint, ut est
reuera falsissima, in reliquis etiam fidem illis detra-
hant. [Quid si ad mores, inquit Caluinus lib. 4.
Calum- cap. 5. §. 14. descendamus? ubi erit illa lux mundi
niator quam Christus requirit? Vbi sal terræ? Vbi illa
Calui- sanctitas, quæ velut perpetua censura esse possit?
nus. Nullus hodie est hominum ordo magis infamis lu-
xu, mollitiæ, delicijs, omni denique genere libidi-
num, nullo ex genere aptiores aut peritiores omnis
imposturæ, fraudis, prodicionis, perfidiæ Magistris.
Nusquam tantum ad nocendum vel solertiæ, vel au-
dacie. Taceo fastum, superbiam, rapacitatem, sæ-
uitiam. Taceo dissolutam in omnibus vitæ parti-
bus licentiam. Quibus ferendis ita fatigatus est
mundus, ut verendum non sit, ne quid nimium ex-

aggerare videat. Vnum dico quod inficiari ne ipsi
quidem poterunt: Ex Episcopis fere nullum: Ex
parochiarum præfectis non esse centesimum quent-
que, cuius si de moribus ferenda sit secundum Ca-
nones sententia, non sit vel excommunicandus,
vel minimum à munere abdicandus. Videor ali-
quid incredibile dicere, adeo prisca illa discipula,
quæ exactiorem censuram de moribus Cleri fieri
præcipiebat, obsoleuit: Sed omnino res ita se ha-
bet. Eant nunc qui sub Romanæ sedis vexillis &
auspicijs militant, & de sacerdotali apud se or-
dine gloriantur. Certe quem habent, neque à
Christo, neque ab eius Apostolis, neque à Patribus,
neque ab Ecclesia veteri esse constat.]

Mihi videtur nullo in ordine tanta esse impu-
dentia, quanta est in Caluino: sunt enim multa mil-
lia sanctorum Episcoporum, parochorumque, uti
planum est.

Caluini immanis est superbia, qui alijs calum-
niandis stigmatum suorum aboleri infamiam pos-
se putat. Quomodo enim ille omnium Episco-
porum, & parochorum conscientias nouit? An
homo vnus tantum ab re sua oculi habuit, ut om-
nium in Episcoporum pastorumque acta inqui-
reret?

Verum ista mittamus. Calumniatori ne Deus qui-
dem satisfecit vnquam. Et improbus hoc esse inge-
nio videmus, ut potius aliorum insectatione, quam
vitæ suæ emendatione dedecora sua se aboleri posse
arbitrentur.

VERSVS 14.

Vos estis lux mundi.

QVÆSTIO I.

Quæ lux mundi?

§. 1. **V**era lux est, primogenia & supercœlestis, *Christus lux prima*
ipse Christus, nec alius quisquam eo
sensu lux dicitur: imo Ioan. 1. 9. Christus lux esse
asserit, Ioannes negatur esse. Eodemque modo
apud Prophetas, Isa. 60. & Euangelistas, Ioan. 3. 19.
8. 12. & 9. 5. Ioannes tamen Baptista dicitur *Lucerna ardens*: Ioan. 5. 35. itemque Ecclesiæ Docto-
res, Philipp. 2. 15. Ephes. 5. 8. mutuum enim lu-
cem ab increata luce acceperunt; non sunt na-
tura lux, sed tenebræ, gratia vero, vocatione of-
ficio docendi, noua lux in Domino, lux externo mi-
nisterio illuminans, non intimæ animorum men-
ti illucens; Hoc enim facit sola lux creatrix &
recreatrix, quæ illuminat omnem hominem venien-
tem in hunc mundum. Hos ergo lucem appellat,
quia verbo, & opere viam demonstrant, præcun-
que. Græcè dicitur *τὸ φῶς*, illa lux, quasi sol
orbis sit, qui solus tenebras Spirituales excludit.
Hinc & baptismus apud Græcos, quo ad lucem
filiorum admittuntur, *φωτισμὸς* dicitur, illumi-
natio.

§. 2. Hæc de Apostolis, eorumque discipulis, &
successoribus intelligenda esse, non modo Ca-
tholici, sed Sectarij quoque docent. Nunquam
enim, nec mundus corporali, nec Ecclesia spi-
rituali luce destituitur. Hinc Caluinus optime iudi-
cat, 1. 4. instit. c. 3. §. 2. & 3. [Hoc ministerium
esse præcipuum neruum, quo fideles cohæreant, mini-
stris Christum adesse: neq; Solis lumen ac calorem,
vel

vel cibum ac potum, tam præsentis vitæ necessarium esse, quam est conseruanda in terris Ecclesiæ Apostolicæ ac pastorale munus; atque huc referri quod Apostolos vocet saltem, & lucem.] Quod cum certissimum sit, merito Catholici docemus, nec lucem hanc vnquam defuisse, sed in cælo semper, ne abscondi posset fulsisse, neque nunc Ecclesiæ per præfides & pastores suos docenti esse detrahendam Apostolicam auctoritatem. Etenim in tenebris errantes ad lucem publicam mundi inuitat: ad Apostolos, quos loco suo audiendos esse voluit: nec ignorauit hoc Caluinus; nam l. 4. c. 8. §. 4. Orthodoxorum hoc argumentum recenset. Sed respondet. *Oportere eos, flegati sunt, mandata eius à quo misit bona fide proferre.* Ex quo concludit, non esse Ecclesiæ potestatem infinitam, sed subiectam verbo Domini, & in eo quasi inclusam. Verum ille docet; si recte eius verba, non solius illius sensu accipiantur. Ecclesiæ enim non aliud verbum prædicat, quam quod à Domino traditum est. Non est autem verbum illud solis inclusum literis, sed etiam voce, & traditione in posteros transfusum. Hanc legem Christus ipse recepit, ad quem Caluinus appellat. Is enim Ioan. 7. v. 16. *Doctrinæ meæ, inquit, non est mea; Sed eius qui misit me, patris.*

Non autem solus Prophetarum Scripturis vsus est, sed alia quoque instituit, quæ audierat à patre. Imo vero nec à Christo Apostoli scriptum de prædicando, & baptizando; sed ore pronunciatum acceperunt; nec ab Apostolis nisi sero, & particulatim viri Apostolici scriptum acceperunt verbum. Continet vero ipsa promissio: Vos estis lux mundi, hanc ipsam securitatem, qua certissimus; Ecclesiæ non aliud, quam mandatum, aut mandato consentiens verbum proferre. Si enim lux sunt Apostoli, tenebras spargere non possunt, ideo nihil verbo Dei contrarium docere. Si eadem auctoritas in Ecclesiâ manet, non potest illa non esse in luce, & lucem à se diffundere.

§. 3. Hisce verbis etiam vsus est contra S. Basilium Euanomius, vt est apud Nyssenum orat. 11. contra Euanomium. Hic enim portionem tenebrarum filio Dei assignabat, vt filium quidem concederet esse lumen de lumine, sed eo modo quo Apostoli lux dicuntur; magnum itaque discrimen lucis esse, vt creatricis, & creatæ; ita quoque Ingenitæ, & genitæ: cum vera inter patrem & filium sit distinctio, vt inter ingenitum, & genitum, etiam eandem inter lucem esse augebantur, qualis inter lucem, quæ erant Apostoli, & quæ Christus.

Respondet Greg. Nyssenus: In patre & filio non esse lucem eo modo diuersam. Vna est enim vnus lucis essentia. In filio autem esse lucem sine mixtione tenebrarum. Quæ multis cum ille prosequatur, colectorum remitto.

VERSUS 14.

Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.

QVÆSTIO I.

Quanam illa ciuitas?

§. 1. Ciuitas est cœtus seu Ecclesiâ fidelium. ita S. August. contra Faustum Manichæum l. 16. Sicut enim Petra Christus, ita & mons Christus: Petra humilis fortitudo, mons eminens magnitudo, quia sicut

Apostolus ait, Petra erat Christus: ita ipse Dominus: Non potest ciuitas abscondi super montem constituta, se scilicet montem, fideles autem suos in sui nominis gloriâ fundatos asserens ciuitatem.

Christus igitur mons est, in eo vertices, & primariæ partes Apostoli, seu fundamenta secundaria ciuitatis, reliqui fideles ædificia. Atque idem Augustin. c. 18. contra Fulgentium Donatistam: ostendit Ecclesiâ abscondi non posse.

§. 2. Hinc clarissime probant Catholici, Ecclesiâ non potest. Christi esse aspectabilem, nullo modo, vt aduersarii volunt, inuisibilem. Cum enim in monte ædificata sit, abscondi non potest, cum vero semper in monte steterit, non per occultos calles ed aliquando deducta, haud latuit; verum in luce & conspectu semper fuit. Sunt ergo Apostoli lux mundi, & Ecclesiâ esse nâ

si super montem posita, vt ad eos sit perpetuus accessus. Verissime Bas. Moral. cap. 8. *ais Qws èv xpoiw, wse wtrws èvay àvewdèwtws xwvws, xw tēs wtrwv dōvws wtrws Qwv èv èis dōvws tōs wtrwv dōvws, wse tō wtrwv dōvws èis, è èlèggev, è èisv. Vt lux in mundo, vt ipsi à malitia incontaminati sint, & eos qui ad ipsos accedunt, ad cognitionem veritatis illuminent. vt vel tales enadant, quales oportet; vel ostendant, quod sunt. Vide plura hoc loco apud Salmeronem nostrum.*

VERSUS 15.

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.

QVÆSTIO I.

Quanam sit lucerna?

§. 1. Vix ambigi potest, quin Apostoli sint lucerna; ab alio enim lumen accipiunt, prius ardent, deinde lucent. Non ponuntur sub modio, aut vase, vt Luc. 8. Sed super candelabrum, hoc est, loco conspicuo, vt omnibus luceant. Candelabrum dici potest etiam Ecclesiâ, quæ ab Apostolis instruitur. Sunt enim illi fundamenta, quæ lucem continent; candelabris imponuntur, quia illuminent. Hortatur Apostolos, omnesque Euangelii præcones, vt memores se loco conspectissimo positos, vita, moribus, doctrina alios instruere oportere. Eo enim pertinet, quod additur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est.*

VERSUS 17.

Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere.

QVÆSTIO I.

An legem Christus abrogauerit?

§. 1. Phariseorum illa erat calumnia, non esse ipsum Christum à Deo, qui Sabbatum non seruaret. Occasio de solutis nem captabant, ex eo, quod eorum traditiones, legibus ac quas legi anteponebant, negligeret; & quod leuissimum aliter, quam ipsi, interpretaretur. De hisce